



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. V. De Specierum intensione & remissione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

enim, tam indigere in secundo quam in primo instanti. Vnde si species & habitus in primo instanti indiguit & concursu generali Dei, & præterea concursu actus, debet necessarium ille concursus in secundo instanti suppleri, si actus iam non concurrat; nec sufficit solus generalis Dei, qui in primo fuit, vnde vel Deus, vel alia causa debet supplere illius defectum. Præterea suppono contra aliquos, solam potentiam non esse causam sufficientem adæquatè continentem species illas aut habitus, alioquin etiam sola primò eos posset producere. Ratio à priori est, quia sicut indiget potentia specie ad cognitionem, eò quòd non continet obiecti prædicata modo quò dixi num. 168. ita ob eamdem rationem nec sola continet ipsam speciem; item nec habitum, quia potentia non est facilitas ad obiecta contraria, ergo non continet habitus contrarios. Hinc infertur, à solà potentia adæquatè non posse eas species aut habitus conservari. Tertiò suppono, nullam esse aliam causam à quâ conserventur, nam actus ipse iam perijt; hinc concludo, necessarium debere à solo Deo conservari, prout dixi alibi. Nec est indignum Deo adæquatè conservare eos habitus, tum quia illi per se non sunt mali; vnde, sicut conservat & producit appetitum inclinatum ad peccatum, etiam potest conservare eas species & habitus: tum quia Deus eos conservat determinatus à causis secundis, & ad eorum exigentiam, ad eum modum quo determinatus concurrat ad peccatum, ut suo loco dictum est quod hic applicari commodè potest, nec amplius iam occurrat dicendum.

SECTIO V.

De Specierum intensione & remissione.

207 OCTAVA CONCLUSIO. Species intenduntur & remittuntur. Probatur, quia clariùs percipitur obiectum proximum potentie, quàm distantius; ergo quia obiectum intensiores producit species in subiecto sibi propinquiori, quàm in distantiori. Confirmatur, si tam intensa producerentur ab obiecto distantiori, quàm à propinquiori, quodlibet obiectum produceret species in quacunque distantia, quod est absurdum. Consequentia probatur ex dictis in simili de luce: si enim, quò maior est distantia, remissior non esset lux, exigua lucerna totum orbem illuminaret, similiter exiguum obiectum in toto orbe videretur, aut exiguus sonus audiretur.

Circa causas intendentes species, hoc certum, externas ab ipso præcisè obiectis intendi, quia ab illis præcisè producuntur: in obiecto autem visus, sicut lux requiritur ut cõditio ad eam productionem, ita ut intensiores producantur, requiritur intensior lux. Quod nota contra aliquos, qui putant, non posse ex variatione conditionis effectum variari. Secundò certum est, quò intensior est actus exterior, eò producere intensiorem speciem in phantasia & intellectu. Difficile tamen est, utrum semel acquisita specie alicuius obiecti, quando postea repetit cognitionem similem priori, intendatur per hanc secundam cognitionem prior species, an verò requiratur, ut secundus actus sit intensior.

208 Nonnulli dicunt non intendi. Mouentur, quia

non ex eo, quòd sæpiùs repetam actus, operor intensius, ergo ex repetitione actuum non intenduntur species. Patet consequentia, quia si intenderebantur, etiam actus fierent intensiores, ut per se patet; sed non fiunt intensiores, ut videtur experientia comprobati. Idem sic confirmo vtrius: quia si efficerebam actus intensiores, efficerebam & clariore, quis autem diceret, me clariùs cognoscere Salutationem Angelicam v. g. postquam eam centies repetui, quàm in initio? Secundò mouentur, quia actus non potest intendere speciem supra propriam intentionem; ergo secundus actus non intendit priores species. Hæc duo argumenta infra solvantur.

Nunc impugno hanc opinionem, quia quòd sæpiùs cognoscit quis aliquod obiectum, eò faciliùs excitantur species de illo, ergo quia per repetitionem actus novæ species productæ sunt; alioquin nihil repetitio prodesset. Hæc admittunt aduersarij, vera autem sunt, etsi actus repetiti sint æqualis intensiois. vnde si quis eadem attentione sæpiùs repetit eundem Psalmum v. g. illum meliùs retinet memoria; ergo hæc species de nouo producta facit intensiorem cum priori. Probo consequentiam: illa species est omnino similis præcedenti, & in eodem subiecto cum illa; ergo cum illa vnitur, & facit intensiorem, sicut vnus gradus caloris cum alio, præsertim in nostrâ & multorum ex aduersarij sententiâ, constituyente intensiorem ex gradibus similibus. Adde, has species esse capaces intensiois, ut omnes fatentur; sed quando habent intensiorem, non dantur nisi plures partes speciei omnino similes in eodem subiecto, facient intensiorem; ergo concedendum est, eas species intendi per actus repetitionem, imò & eas deferuire ad faciendum postea actus intensiores & clariore. Quod probatur experientia: videmus enim in acquisitione scientiarum initio nos valde obscurè cognoscere aliquam veritatem, cui postea per repetitionem actuum clariùs, firmiùs, & certius adheremus: idem est, cum quis sæpè vidit aliquem hominem, quem intensius & clariùs cognoscit in absentia, quàm si semel vidisset, non tamen ita perfectè, ac quando actu videt, quia species intuitivæ perfectiores sunt abstractivæ.

Aduerte, aliqua obiecta intellectui ita esse facilia, v. g. Orationem Angelicam, ut repetitio actuum circa illam, solùm videatur deferuire ut illa meliùs memoriâ retineantur, & illorum species faciliùs excitentur: quando verò obiectum habet aliquam difficultatem & obscuritatem, repetitio actuum non solùm deferuit ut faciliùs excitetur memoria de eo obiecto, sed ut clariùs percipiatur; idè enim, quæ semel lecta non intelliguntur perfectè, intelliguntur iter aut quater legantur. ex quo constat, falsò in primo argumento dici, actus repetitos non deferuire ad producendum postea alios intensiores.

Ad secundam obiectionem dico, intellectum adiutum cognitione ut quatuor, posse producere speciem ut sex, quia defectus intensiois actus suppletur ab ipso intellectu, & à maiori actus perfectione; est enim actus causa æquiuoca speciei. Quòd si primus actus non produxit totam habitus intensiorem, id fit, non quia sit remissior actus

actu sequenti, sed quia, ut sæpe dixi, multitudo agentium conducit ad operationem intensiorem, unde plus possunt plures actus repetiti, etsi æqualis intensiois, quam quilibet eorum seorsim.

Dices: Secunda species non repræsentat sæpè obiectum cum eadem circumstantiâ, nam iam video Petrum hic, siam in foro, iam in agro; ergo hæc species non faciunt intensiorem. Primò respondeo, in prædicto casu duas produci species de Petro in phantasiâ & in intellectu, aliam de illius substantiâ, quasi abstractâ ab ubicatione, & hæc intenditur per sequentes actus; aliam de illo in tali loco, & hæc non intenditur, nisi fortè in eodem loco videatur. Unde fit, ut si Petrum millies viderim, non tamen in eodem loco, retineam optimè species de illo, loci autem non recorder; si autem semper in eodem loco eum video, & illius & loci clarè recorder. Secundò respondeo, licet in his speciebus non daretur intensio ex actibus repetitis ob rationem dictam, dari tamen in alijs, quæ in eisdem circumstantijs cognoscuntur, v. g. in obiectis scientiarum.

212 Dices Secundò: Ergo species per actus subsequentes intenduntur sine termino. Nego sequelam, quia habitus habent terminum intensiois, ultra quem non augentur; & hinc fit ad aliquem statum quem peruenire, in quo tantam habeat facilitatem circa obiectum, ut ex repetitione actuum non acquiritur novam, quod probabile est contingere in oratione Angelicâ, v. g. quam non scio hodie melius memoriter quam ante annum, nec meum nomen, aut alia quorum valde intensas habeo species.

SECTIO VI.

De corruptione Specierum.

Dico Primò: Species visus corrumpuntur in instanti quo deficit obiectum. Quòd si, postquam attentè Solem v. g. intuiti sumus, etiam clausis oculis videamur intueri aliquam lucem, id oritur, non ex eo quòd verè sint species lucis in oculo, sed propter vehementem phantasiæ imaginationem, vel quia illuc concurrerunt spiritus vitales ignei, qui aliquam habent lucem. Quòd autem species soni aliquantulum durent transacto sono, ostensum est supra.

213 Circa internas species phantasiæ & intellectus grauior est difficultas: quidam enim censent, eas perpetuò durare, obrui tamen aliarum aduentu, & inde oriri, ut post longum tempus penitus sint ineptæ ad concurrendum, nisi exerceantur. Hi Auctores solâ voce difficultatem explicant: rogo enim, quid sit eas species obrui; cum enim vna non sit supra aliam, sed omnes inuicem immediatè penetratæ, & in eodem loco; non video, cur prima à secunda obruatur potius quam e contrariò. Alij verò dicunt, eas corrumpi otio, quia per otium generatur qualitas occulta illis contraria. Miror qualitatem hanc occultam, & tamen ab his Auctoribus agnitam, certè ex ipsis terminis apparet, omnino eam gratis fingi ab his, non secus ac de qualitate occultâ Xauelli dixi in Physicis. Præterquam quòd non potest reddi ratio, cur ea qualitas contraria generetur otio, aut cur solum corrumpat species præcedentes

dum sunt otiosæ, & non impediat etiam productionem novam illarum. Adde, ab his Auctoribus & merito doceri, species non habere contrarium; quæ ergo hæc doctrina coheret cum qualitate contraria occultâ. Tandem otium est pura cessatio ab actu, quomodo ergo purum nihil est tam actiuum, ut producere possit positivam aliquam qualitatem?

Melius ergo docetur, eas species talis naturæ esse, ut petant in absentia actuum, à quibus productæ sunt, aliquo tempore conservari, non tamen semper, etiam si nullum adueniat contrarium. Hæc probatur, quia nos repugnat, imò de facto datur entitas petens naturâ suâ conservari per aliquod tempus, non tamen semper, licet adueniat contrarium, nec deficiat causa à quâ conservatur. Sed si aliqua entitas potest esse huiusmodi, etiam tales esse species impressas, videtur ostendere experientiâ, quâ nouimus, eas, nisi actibus novis intenduntur, post aliquod tempus deperdi; ergo dicendum est, eas esse naturâ suâ defectibiles. Minor & consequentia sunt certæ: Maior sola probationem exigit. Eam probo ex impulsu impresso lapidi à proiciente, ille enim impulsus petit durare aliquantulum, & conservari à Deo, non tamen semper, paulatim enim deficit.

Respondent aduersarij, illum impulsus retardari à gravitate lapidis ei contrariâ, gratias enim tendit deorsum, impulsus vero iursum. Hanc responsionem ego facile reicio, Primò, quia impulsus ille petit conservari à Deo per aliquod tempus, contra gravitatem lapidis, & tamen non petit conservari semper, cum gravitas sit eadem in primo instanti, quæ postea; ergo poterit esse aliqua entitas quæ petat conservari per aliquod tempus, non tamen semper, licet in primo instanti eodem modo se habeant causæ quo in sequenti. Contrà Secundò, quia si quis per perfectum planum longum proiceret globum, tandem cessaret ille impulsus, non tamen à gravitate illi contrariâ; ergo sine contrario potest impulsus esse defectibilis. Maior & consequentia sunt certæ: Minor probatur, quia impulsus ille non tendit sursum contra gravitatem globi, neque quia globus ille magis moueatur per perfectum planum, distabit magis à centro, aut erit magis violentus; ergo non cessat ille impulsus ob gravitatem contrariam globi. Neque ob resistentiam aëris, quia (ut alibi dixi) non resistit aër motui corporum.

216 Secundò probo supra positam Maiorem, in sono: ut enim dixi supra, & experientia ostendit, transacto ictu, & corporum compressione quæ fuit causa soni, fit auditio, vel saltem sonus durat, ergo durat ipse sonus transactâ eius causâ, si vnum sonum ab alio produci doceas, vel saltem durabunt species illius, & tunc conservantur à Deo. Hoc negari à nemine potest. Iam videntur sic: sonus ille, aut species soni, etsi durent aliquantulum præteritâ illarum causâ secundâ, tamen breui pereunt, ut experientia docet; sed non pereunt ob contrarium, quia nec species soni, nec sonus ipse contrarium habent, ut omnes fatentur; ergo pereunt quasi à se; ergo potest esse aliqua entitas, quæ in absentia causæ secundæ petat aliquantulum conservari à Deo, non tamen in perpetuum, licet careat contrario; ergo species erunt